



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

XI. De Presbyteris qui uxores acceperunt vel fornicati sunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

*De Presbyteris qui uxores acceperunt vel fornicati sunt.*

C A P. X I.

Regino lib.  
1. c. 84.

Item de Presbyteris qui uxores acceperint, vel fornicati sunt, in Concilio Neocæsareensi cap. v. scriptum est: Presbyter si uxorem acceperit, ab ordine deponatur; si verò fornicatus fuerit, aut adulterium perpetraverit, amplius pelli debet, & ad pœnitentiam redigi.

Regino lib.  
1. c. 88.

Item ex decretis Innocentij Papæ cap. xxvi. Propterea, quod dignum & pudicum & honestum est, tenere omnino Ecclesia debet, ut Sacerdotes & Levitæ cum uxoribus suis non coeant, quia ministerij quotidiani necessitatibus occupantur. Scriptum est enim: *Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester.*

Decreta Innoc. I. c. 21.

Nam priscis temporibus de templo Dei Sacerdotes anno vicis suæ non discedebant, sicut de Zacharia legimus, nec domum suam omnino tangebant. Quibus utique propter sobolis successionem uxoris usus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu, & præter ex semine Aaron, ad sacerdotium nullus fuerat præceptus accedere. Quanto magis hi Sacerdotes vel Levitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ servare debent, quibus vel sacerdotium vel ministerium sine successione est, nec præterit dies quo vel à sacrificiis divinis vel baptismatis officio vacent. Nam si Paulus ad Corinthios scribens ait, *Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi*, & hoc utique laicis præcepit, multò magis sacerdotes, quibus & orandi & sacrificandi jugiter

officium est , semper debent ab hujusmodi  
 confortio abstinere. Qui si contaminatus fue-  
 rit carnali concupiscentia , quo pudore vel sa-  
 crificare forsitan usurpabit ; aut qua conscien-  
 tia quove merito exaudiri se credit , cum di-  
 ctum sit : *Omnia munda mundis ; coinquinatis*  
*autem & infidelibus nihil est mundum.*

Tir. 1.

Item in decretis Leonis Papæ cap. xvii.  
 scriptum : Lex continentia eadem est altaris  
 ministris quæ Episcopis atque Presbyteris :  
 qui cum essent laici sive lectores , licite & uxo-  
 res ducere & filios procreare potuerunt. Sed  
 cum pervenerunt ad prædictos gradus , cœpit  
 eis non licere quod licuit. Unde ut de carnali  
 fiat spiritale conjugium , oportet eos nec di-  
 mittere uxores , & quasi non habeant , sic ha-  
 bere ; quò & salva sit caritas connubiorum , &  
 cesset operatio nuptiarum.

Regino lib.  
 1. c. 96.

Item in Carthaginensi Concilio cap. xxv.  
 Aurelius Episcopus dixit. Addimus , fratres  
 carissimi , præterea cum de quorundam Cle-  
 ricorum , quamvis Lectorum , erga uxores  
 proprias incontinentia referretur , placuit ,  
 quod & diversis Conciliis confirmatum est , ut  
 Subdiaconi , qui sacra mysteria contrectant ,  
 & Diaconi , & Presbyteri , sed & Episcopi , se-  
 cundum priorum statuta , etiam ab uxoribus  
 se abstineant , ut tanquam non habentes esse  
 videantur. Quòd si non fecerint , ab ecclesia  
 removeantur officio. Ceteros autem  
 Clericos ad hoc non cogi , nisi maturiori ætate.

Regino lib.  
 1. c. 92.

\* \*  
 \*